



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

De futuris sectis. tit. 209

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

generalium traditionum consensum, neq; successio-
nem ordinariam & legitimam: ideo nubes sunt, que
à ventis circumferuntur, vt in canonica sua Iudas ci-
cit, Sydera errantia, &c. sed his tribus sese Ecclesia ca-
tholica tuetur.

DE FUTURIS SECTIS.
TITVLVS CCIX.



Postolus Petrus primò dicit 2. Petr. 1.
quòd certò venient falsi prophete, qui
nò metuent introducere sectas & bla-
sphemias, & quòd multi eorum sequen-
tur lasciuias Subindè dicit, quòd tales
contemnant dominationē, & in audacia sibiipsis pla-
ceant. Tertio, quòd tales, catholicos angustiant,
sicut impij deridebant veritatis præconem Noe, Gen.
7. illum pro stulto reputantes. Sic reputantur ca-
tholici prædicatores Genes. septimo, & sicut Sodo-
mitæ valdè angustiant Loth, Gen. 19. vel senes Su-
fannam, Danic. 13. sic non cessabunt sollicitare & per-
trahere ad sectam. Subindè fictis & dulcibus verbis,
Rōmanōr. 16. in auaritia de vobis negociabuntur, vt
ipsi ditefcant. Postremò, magnam libertatem pro-
mittent, cùm sint ipsi serui damnationis. Tertio in-
quit, quòd non obstantibus multis sectis, Deus no-
uit de tentatione eripere iustos, iniquos verò, id est,
hæreticos, reseruare vsque ad diem iudicij crucian-
dos, etsi interea glorientur in carne. & ponit exem-
pla, cùm Lucifer, qui alios angelos seduxit, æterna-
liter cum illis adiudicatus sit perpetuæ damnationi,
nec pareet Deus sectæ magistris, Esai. 14. Si ciuitates
Sodomæ in cineres redegit, quæ cōtemnebant Loth,
Gene. 19. nec illis pareet. Vltimò inquit, melius erat
nò cognouisse viam iustitiæ, quàm post agnitam ve-
ritatē retrorsum conuersti, id est, melius esset, te nun-
quàm effectum baptismo Christianum, & factum
membrum

2. Pet. 2.

membrum catholici corporis, quàm per sectam re-
 portum conuerti, similis cani reuertenti ad vomitum,
 & quasi porci ad volutabrum, 1. Prouerb. 26. Sic
 tandem eorum luxuriam Deus vindicabit: ideo iu-
 ter Christus cauere falsos prophetas, Mat. 7. Et Pau-
 lus Actorum 20. Nam Ecclesia non erit sine tenta-
 tione.

Primò, non metuunt introducere plures sectas, sed
 non contenti sunt simplici veritate? Dicunt, pro-
 pter veritatem & iustitiam, quam nunc melius intel-
 ligimus. Respondeo, non est verum, si quærent sa-
 lutem, manerent cum Ecclesia: sed voluptas, luxuria,
 libertas, odium &c. in causa est, quòd sectæ statuun-
 tur, & illis obeditur, sicut dicit Petrus 2. Pet. 2. Oculi
 eorum pleni adulterio: Cor eorum plenum est aua-
 ritia, affluentes in conuiujs suis, maledictionis filij,
 & est, conducti, sicut Baal, ad maledicendum filijs
 Israel, Num. 22.

Secundo, dominationem contemnunt, id est, Pa-
 pæ, Ecclesiæ, Imperatoris præcepta. Sed nūquid tam
 graua, nociua, importabilia sunt? cur prædecessores
 illa obseruauerunt sine querimonijs, ad conseruandam
 pacem? sed inquis, ad defendendam libertatem, ne si-
 mus serui horum, 1. Cor. 7. Respond. 1. Petr. 2. Ire post
 concupiscentiam carnis in immunditia, non est liber-
 tas, sed potius seruitus. Nam superati sunt à concu-
 piscencia carnis, oculorum, & superbia vitæ, 1. Ioan.
 & ideo illorū serui sunt. Sic dicit Petrus: qui ipsimet
 errore & seruitute pleni sunt, alijs promittunt liber-
 tatem, &c. Multò nobilior est pax & venerabilior
 veritas, quàm hæc carnis libertas.

Tertio, sollicitant ad suas sectas, sicut senes Susan-
 nam ad luxuriam, Daniel. 13. & mulieres viros ad for-
 nicationem, Numer. 25. & matrona Ioseph, Gene. 39.
 Sed illi hoc faciūt, ne fiant in duplo filij gehennæ: se-
 mel, quia ipsi non sunt de vnitare: Secundo, quòd
 alios

alios etiam trahunt in interitum, & sequentes tales sollicitatores, fiunt in duplo filij gehennæ. Semel, quia recedunt à corpore & vnitate Ecclesie, ad quam baptizati sunt, 1. Cor. 12. & per communionem vniuersi corpus & sanguis effecti. Secundò, quia perficiunt & faciunt peccatum errorũ, at iniquiunt: Nos redè credimus & docemus.

DE DICTO IOANNIS, EX
nobis exierunt Antichristi, sed
non erant ex nobis.

TITVLVS CCX.



Postolus 1. Ioan. 2. inquit: Antichristus iam venit in mūdum, & multi sunt Antichristi. & primò, Antichristus est qui negat, quoniam Iesus est Christus, id est Deus & homo, id est, saluator mundi & Messias, & sic omnes Iudæi, Tyranni, gentes, sunt Antichristi, contra fidem Christi, 1. Corin. 1. Iudæi enim fides Christiana scādalum, sed gentibus stulticia. Secundò, Antichristi sunt omnes hæretici & sectæ, quia exierunt à nobis, id est, sciderunt vnitatem & vnicum ouile Christi, Ioan. 10. sed non erant ex electis ouibus Dei. Si enim tales fuissent, utiq; nobiscum, in vnitatem mansissent. Omnis ergo qui negat Christũ, aut extra vnitatem exierit, Antichristus est, & sic sunt multi Antichristi.

Secundò, Augustinus super Epistolam Ioan. tradit. 3. Cũ omnis hæreticus confitetur Iesum esse Christum, credere se dicit verbo & Euangelio Christi, docet, baptizat, &c. Quære ex Arrio, Macedonio, Donato, Manichæo, Vuigleffo, Hussio, Vualdone, an credant Iesum esse Christum? Omnes dicunt illum talem esse, & dulciter prædicant Euangelium, & semper in ore habent verbum Dei, Christum, Euangelium, gratiam,